The Digital *Liber exceptionum* Project (https://exceptiones-project.wlu.ca)

Ieronymus super Ysaiam lib. 3 (fol.77ra-rb)

1. Ecce uirgo concipiet. quando dicitur. dabit dominus nobis signum. nouum debet esse atque admirabile. sin autem iuuencula uel puella ut iudei uolunt et non uirgo pariat. quale signum poterit appellari cum hoc nomen etatis sit non integritatis. et reuera ut cum iudeis conferamus pedem et nequaquam contentioso fune prebeamus eis risum nostre impericie. uirgo hebraiae betula appellatur que in presenti loco non scribitur. sed pro hoc uerbo positum est alma quod preter lxx. omnes adolescentulam transtulerunt. porro alma apud eos ambiguum est. dicitur enim et adolescentula et abscondita.

   Ecce uirgo concipiet et pariet et uocabis nomen eius Emmanuel.... Quando autem dicitur: *Dabit Dominus ipse uobis signum*, nouum debet esse atque mirabile. Sin autem iuuencula uel puella, ut Iudaei uolunt, et non uirgo pariat, quale signum poterit appellari, cum hoc nomen aetatis sit, non integritatis? Et reuera, ut cum Iudaeis conferamus pedem, et nequaquam contentioso fune praebeamus eis risum nostrae imperitiae, uirgo Hebraice bethula appellatur, quae in praesenti loco non scribitur; sed pro hoc uerbo positum est alma, quod praeter LXX omnes adolescentulam transtulerunt. Porro alma apud eos uerbum ambiguum est, dicitur enim et adolescentula et abscondita, id est ἀπόκρυφος.

   Hieronymus Stridonensis, *Commentariorum in Esaiam libri XVIII*., 3 (CCSL 73, M. Adriaen & G. Morin, eds., pp.103-4, ll.2-3, 14-24). cf. Is. 7:14

2. Alma non solum puella uel uirgo sed cum epytasi uirgo abscondita dicitur et secreta. que nonquam uirorum patuerit aspectibus. sed magna parentum diligencia custodita sit. lingua quoque punica que de hebrorum fontibus ducitur proprie uirgo alma appellatur.

   Ergo alma, non solum puella uel uirgo, sed cum ἐπιτάσει uirgo abscondita dicitur et secreta, quae numquam uirorum patuerit aspectibus, sed magna parentum diligentia custodita sit. Lingua quoque Punica, quae de Hebraeorum fontibus manare ducitur, proprie uirgo alma appellatur.

   Hieronymus Stridonensis, *Commentariorum in Esaiam libri XVIII*., 3 (CCSL 73, M. Adriaen & G. Morin, eds., p.103, ll.33-38).

3. Quantum cum mea pugno memoria numquam me arbitror alma in muliere nupta legisse. sed in ea que uirgo est ut non solum uirgo sit sed uirgo iunioris etatis et in annis adolescencie.

   Et quantum cum mea pugno memoria, numquam me arbitror alma in muliere nupta legisse, sed in ea quae uirgo est; ut non solum uirgo sit, sed uirgo iunioris aetatis et in annis adolescentiae.

Hieronymus Stridonensis, *Commentariorum in Esaiam libri XVIII*., 3 (CCSL 73, M. Adriaen & G. Morin, eds., p.104, ll.44-47).